DE

IOSEPHO CUNIBERTIO

BREVIS NARRATIO

> Quum videres senilem in iuvene prudentiam victorem omnium voluptatum animum, emendatum, carentem vitio.... diu tibi putabas illum sospitem posse contingere? Quidquid ad summum pervenit, ad exitum prope est.
>
> SENEC. *Consol. ad Marc.*

AUGUSTAE TAURINORUM
TYPIS ALLIANAE AMICORUM SUMPTU
MDCCCXXIX

LAURENTIUS MARTINIUS

VINCENTIO IOBERTIO

SALUTEM.

Dolorem refricari haudquaquam oportere, plerique autumant: alii, non esse suffocandum, profitentur. Posteriorum ut sequar sententiam, magis inclinat animus. Contusas partes nonne medici ferro concidunt? Nonne tunc tantummodo sanguinem coercent, quum iam large manavit? Ita quum sentiam, tibi, optime Vincenti, CUNIBERTII tui vitam conscribo. Lacrymas adhuc aliquot funde: at mox, Dei O. M. decreta venerare: amicum iam securum recogita: non planctu dignum esse, at invidentia. Vive.

CUNIBERTIUS

Seculum iis, quae perstrepunt, movetur: vix pensum habens, utrum per virtutem, an per malam ambitionem gerantur. Idcirco Alexandrum, terrorem gentium, in coelum fert: philosophum contra, pacifica studia agitantem, aut ignorat, aut negligit. At vero, qui sapit, consilia ille animorum severe diiudicat: ex quo persaepe fit, ut famae adversetur, praeclaros contemnat, obscuros in lucem educat. Quae quidem praemoneo, ne quis forte miretur, me talem, quem pauci noverint, laudare. Namque, si

meritum ex virtute, quod ius fasque est, ex virtute censeatur, et virtus eo purior explendescat, quo modestior se praebet, haud dubitem, quin oratio mea nostris hominibus, qui generosam sunt indolem admirati, non ingrata sit extitura. Et iam ad incoeptum venio. IOSEPH CAROLUS MARIA CUNIBERTIUS, Ioannis Dominici et Annae Mariae Bossolascae filius, natus est Augustae Taurinorum, idibus septembribus, anno reparatae salutis MDCCLXXXXVIII. Infantiam, atque pueritiam per optimorum parentum indulgentiam transegit. Ex quo iam tempore eam morum suavitatem expromebat, quae uberrimos olim fructus polliceretur. Prima literarum elementa in Collegio Civitatis ad Sancti Francisci a Paulla excepit. Grandiusculus, ad alterum Civitatis Collegium, ad Virginis de Carmelo, transductus, solidiora praecepta fortiori mente subegit. Utrobique ita se gessit, ut condiscipulis incitamento foret, intereaque invidentiam, quae facillime tenella pectora subit, effugeret. Praeceptores, experrectum

ingenium, castigatosque mores conspicati, non diligebant tantum, sed amabant. Tametsi vero cuncta avide arriperet, praecipuo tamen in mathesin studio ferebatur. Plerumque temporis in exigendis rationibus absumebat: mansuetiores literas, ad instaurandas mentis vires, invocans, mox alacrior ad charam disciplinam revertebatur. Illustris vir Trona, qui mathematicas res ipsum edocuerat, ad Euclidea vexilla adliciebat, ac, prope dixerim, pertrahebat. Sed ingens ille animus, caelestia sitiens, haudquaquam acquiescere terrestribus potuisset. Frequens in templo, sedulus in sacris lectitandis, ita se Deo devovit, ut, si vita suppeteret, Christi vineam pro suis viribus excoleret. Ad quod excelsum officium ut se se instrueret, conatus in dies ingeminabat, quo notionum segetem quantam maximam cumularet. Quotannis inter laudatos, praemioque affectos primus fuit. Clericali militiae vix maturus, moras rumpit, sacram tesseram flagitat; quam ubi est adsecutus, se voti compotem esse pro-

ſitetur, nihil praeterea cupere. In philosophica palaestra, eas maxime partes agitavit, quae ad theologicam scientiam propius pertinent: cuiusmodi sunt logice, metaphysice, ethice. A matheseos elementis paratissimus quum esset, incredibile memoratu est, quam celeres in geometria progressus ſecerit. Hinc iter ad sublimia quaeque sibi sternebat. Profecto qui mentem sic adsuefecerit, ut nihil, quin omnia rationum momenta quaquaversus excusserit, assentiatur, nunquam ille ob iudicandi praecipitantiam in errorem labi se sinat; non speciosis irrequietae imaginationis spectris hallucinari; non inanem, quae ex deliramentorum novitate procedit, gloriolam veritati anteponere. Ille quoque non iocosam dicendi rationem consectetur: at germanae eloquentiae, quae invictis argumentis intellectum subigat, atque animos quadam prope violentia percellat, concutiat, eo pertrahat, unde coeca cupiditas refugere videretur, insistat. Quam quidem sermonis austeritatem semper adamavit Cunibertius. Quo-

circa molles poëtas aversatus, Aligherium, Alferium, Manzonium subsecivis horis legebat, relegebat, plane digerebat. Dixerim fere, geometriam in omnes disciplinas transtulisse. Profunda metaphysices ingressus, nullum recessum praetermisit, quem non adiret modo, sed penitus exploratum haberet. Quo robur et agilitatem ingenii augeret, exercitationibus adsueverat: iam sodales ad certamen provocabat: iam provocatus in arenam generosus descendebat. Quo quidem in opere usus amico est, sibi omni ex parte consentiente. Quotidie conveniebant, minervalem ludum inituri. Autumnales feriae semoverant: neque tamen disceptandi fervor quidquam elanguit. Quod iam coram non liceret, id per epistolas fecere. Inter permultas, quae sunt iactatae, controversias, duae acrius mentes distinuere: quarum altera de aeternitate, altera de tempore inscriberentur. Qui eos primae adolescentiae flores perspiciat, is certe ingentem in tempore fructuum copiam non praecipere cogitatione nequeat. Tanta iu-

dicii severitas, tanta vis argumentorum enitescit, quanta maturam experientiam desideret. Sed iam ad se ea scientia arcessebat, quae propius Dei magnitudines contemplatur. A ludicris cavillationibus, quam qui maxime, abhorrens, morum disciplinam in animorum medulla, theologiam in sacris Bibliis perdiscebat. Sanctos Ecclesiae Patres, perinde oracula, venerabundus scitabatur. Bossuetum imitatus, inanes disputationes declinabat: in iis autem, quae bonae frugis esse viderentur, a partium studio praecavebat. Sunt qui putent, aut saltem autument, veritatem ab omni ornatu sordescere magis, quam nativas pulchritudines expromere. Quae quidem sententia turpissimam socordiam retegit. Non ita sensere Chrysostomus, Hieronymus, Lactantius, quorum Demosthenicam, ac Tullianam facundiam nemo non admiretur. Cunibertius talia exemplaria secutus, omni se ope praestabat, ut divinam scientiam per eloquium facilius animis insereret, uberioremque inde messem referret. Academicum stadium emen-

sus, tum maxime insudandum sibi fore putavit: neque enim ex eo numero fuit, qui, simul atque lauream coronam accepere, levissima laetitia gestientes, ab omni labore temperant. Id sane absurdum est. Quae enim in gymnasiis excipiuntur, eo tantummodo spectant, ut ingenia praeparent, ac propemodum lactent, quo per firmiorem aetatem suis ipsa viribus reipublicae bono velificentur. Sacrae eloquentiae animum appellens, non cucurrit modo, sed volavit. Panem caelestem frangens, atque dispensans, esurientes turbas laute pastas, ac roboratas dimittebat. Hic suas delicias, hic suam gloriam putabat. Honores nunquam eum animum moverunt. Inclytum Theologorum Collegium in sinu suo peroptabat: at ille, veritus, ne ambitio a praecipuo sacerdotis officio distraheret, a dignitate abstinuit. At locus admonet, ut clarissimum virum memoremus, qui Iosephum ad evangelicam palaestram adlexit, ac sua prope manu perduxit. Si summum, si unicum dixerim, qui narra-

tionum Sospitatoris vim, et potestatem ea simplicitate enucleet, quae vel incultum vulgus convincat, simulque sancto fascino comprehendat, neminem esse puto, quin Iulium Sineum Equitem aperte perspiciat. Illud autem plane mirandum, ac paene supra fidem apparet, illum, singulis diebus festis tres vario omnino stylo orationes habere longos ad annos consuevisse. Disertissimas sacrae eruditionis interpretationes in Athenaeo efferebat: in Regia Academia, quae interritos imperio vindices instituit, humiliori genere, quod teneriorem deceat aetatem, divina praecepta enudabat: egenis demum, eo in instituto, quod ipsis edocendis nostrorum maiorum pietas excitavit, maxima, qua dicebamus, simplicitate, quae ad mores informandos pertinent, peramanter evolvebat. Adde theologicas exercitationes, quibus eos applicabat, qui mox animas regerent, atque iudicarent. Adde frequentes apud Venerandum Ecclesiae Taurinensis Antistitem conventus, quorum praecipua pars pro vicarii

munere haberetur. Nunc vero, tam egregio viro praeeunte, CUNIBERTIUS non poterat, quin ad excelsam metam properaret. Cuncti, qui Sineum improspera interdum valetudine impeditum desiderarent, moestitiam ex dignissimi alumni conspectu levabant. Sed labor ille vehementissimam, qua flagrabat, cupiditatem exsatiare non poterat. Omne suum tempus in animarum salutem conferre, in votis habebat. Occasionem cupidissime arripuit Ioseph Boschisius, quem vere Pastorem bonum nostri homines reverentur. In sacri ministerii societatem quum adscivisset, propiusque nosset, fassus est, se multa a CUNIBERTIO expectasse, verum quanta, per aetatis florem, cum doctrina, tum prudentia foret, praecipere animo non potuisse. Uterque docti, uterque iusti, ac propositi tenaces, ita se se invicem amarunt, ita, dixerim, conferbuerunt, ut omnes in iis unam mentem, animum unum admirarentur. Iuvenis senem de cunctis consulebat: senex iuvenem edocebat: at subinde,

discipulus perinde ex praeceptore factus, percontabatur, atque responsa plurimi pendebat. Diximus, CUNIBERTIUM sic se se theologicis studiis dedisse, ut caetera praetermittere voluisset: immo et eam propriae disciplinae partem fuisse aversatum, ex qua maiorem forte famam, at tenuiorem erga proximos suos utilitatem, sperare potuisset. Scire nunc licet, in amoenas artes praepotenter tractum fuisse. Sed hisce ad honestam animi relaxationem utebatur. In multis, variisque versatus, ubique grande feracis ingenii documentum dedit. Architectonicen, nullo usus praeceptore, didicit. Frater domum in villa aedificare apud se constituerat: noster typum exhibuit: quem artis periti maxime probarunt. Multas ex iis partibus, quas in aulico desiderat Castillionus, prae se gessit. Carpentum scite gubernare: tessera ludere: geniales conventus amoenitatibus recreare: iis praesidiis senectam solari, iuventam refraenare, pueritiam ad discendum incendere: omnibus prodesse:

omnes sibi devincire. Miram in gerenda familia prudentiam ostendit. Quum adhuc optimus pater viveret, vix monitis egebat: exemplo movebatur. Postea vero, quam ille fato concessit, fratres, natu licet grandiores, Iosephum, cuius consilium dudum experientia didicerant, in gravioribus negotiis consulebant. Si constans concordia domum fortunavit, per ipsum maxime stetit. Tanta ob suam facilitatem atque perspicientiam apud fratres auctoritate pollebat! Hactenus ingenium magis, quam indolem, in Cunibertio sumus admirati: iuvat in praesentiarum hanc severius excutere. Invidentiae nescius, sodalium amorem sibi continenter adseruit. In Academicis certaminibus, non, ut vinceret, sed ut erudiretur, provocabat. Si vinceret, victos per summam modestiam magis suos efficiebat: si vinceretur, gratias victoribus habens, exultabat. Amicitiam religiose observavit. Cautus in familiarium delectu, postea quam probaverat, dignosque sua fiducia noverat, iam amplius dubitare non poterat.

Vocatus, aderat: non vocatus, anteveniebat. Amicus, ad vires, morbo pessumdatas, instaurandas, medentium iussu, peregrinari decrevit. At invalidus, at moerens, inter ignotos ignotus, quid levaminis expectare potuisset? Praesto fuit Cunibertius: vultus serenitate, amoenitate colloquii, apertis consiliis, distractionibus per pulcherrimam fraudem excitatis, deiectum socii animum relevavit. Sapientes, quotquot essent, venerabatur. In itineribus illud potissimum sibi proponebat, ut eos, qui bene de scientiis, atque republica meruissent, conveniret, audiret, duces expeteret. Prae ceteris, summo obsequio Manzonium coluit: atque illum diem, quo coram adgnovit, aetatis suae auspicatissimum fatebatur. Qui, mente sublimes, animo humi repentes, cerneret, deplorans, eos, qui ingenii aciem, uti fas est, ad virtutis cultum prolatandum intenderent, ad sydera ferebat. Alexandrum in talibus insignem designabat. Cunctos mortales, tamquam fratres, complectebatur: consilio, et

opera iuvabat: benefacta studiosissimus tegebat. Fumosas domunculas frequentabat: egenos, cum pecunia, tum consolationibus, erigebat. Praecipue vero totus erat, ut animos, vel phantasmatibus fascinatos, vel malis cupiditatibus transversos ductos, in sanctam libertatem vindicaret. Quo in opere quam sollers, quam impiger, quam felix fuerit, multa forent in promtu, quibus ostenderemus: at uno contenti erimus documento. Talis fuit, cui Religio, utpote mysteriis se se efferens, non satis confirmata videretur: idcirco anceps haerebat: neque tamen securitate potiebatur: doceri, convinci, voluisset. Infelix conditio diuturna fuit. Cunibertium audiens celebratum, accessit, dubia aperuit, lucem plenissimam vidit. Quem quidem triumphum, sane splendidissimum, non tantum doctrinae, sed maxime suavitati acceptum referamus. Quum pro virtute generosus certaret, maioresque animos caperet, Deus ad se vocavit. Quum enim aegro variola laboranti opem ferret, labem suscepit,

quae mox foret deletura. Iam inde ab initio morbi, finem vitae adesse, sensit: nec metuit: Novissima Religionis auxilia postulavit: quibus instructus, iam non mortalia cogitans, in preces effundebatur, inter quas sereno ore expiravit. Iacturam omnes, qui nossent, luctu sunt prosecuti: pauperes, patrem amisisse, complorantes praedicabant: Funus insueta sacerdotum, ac populi frequentia honestavit. Vixit annos XXX: gloriae, publicaeque utilitati parum: abunde virtuti. Imaginem si quaeras, fuit corpore brevi, nigra caesarie, fronte expansa, oculis eruditis, naso adunco, habitu molliori, colore vivido. Vultus animum ostendebat: amorem, ac reverentiam, ne dum conciliabat, imperabat.

FACULTATE OBTENTA.